



8
255



zu 005

O. i. 840 (1-101).

THESES SEV CON-
CLVSIONES

DE NEGOTIIS
GESTIS.

QVAS SVMMI NVMINIS OPE FRETVS
PRAESIDIBVS CLARISS. CONSVLTISSIMISQVE
viris D. Ioanne Michaële Cronenburgero, & D. Ioanne
Hollandt, SS. LL. Licent. Dictatoro & Fisco, in ce-
leberrimo Agrippinensis Academiae Iuris
Collegio, publicè disputan-
das proponit.

VVINOLDVS KIVER
DAVENTRIENSES.

*Anno à partu virgineo CIJ. IJ. LXXXXI.
pridie Calend. Martij.*



COLONIAE AGRIPPINAE M
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.



CONTINUATIO.

Quod multi negotia aliena, quae putant negligi non oportere, sine mandato administrant: Praetor edicto proposito utringque curavit, ne ea res fraudi esset. Quapropter, cum de procuratoribus superiori disputatione absolutum sit, consequens est disputationem, quae proxima est, in cognata materia ponere.

l. 1. & 2. ff. h. t. l. 5. de oblig. & act. l. 7. ff. quemad. test. aper.

In hanc rem Praetor ita edixit:

Si quis negotia alterius, siue quis negotia, quae cuiusque, cum is moretur, fuerint, gesserit; iudicium eo nomine dabo.

THESIS I.

DE negotiis gestis ita demum curavit Praetor, si alia actio non esset. (a) Itaque mandatum esse non oportet, (b) nec dominum praesentem scire, (c) quod in absente aliud esse defendimus. (d)

(a) d. l. 1. l. 3. §. haec verba. vbi glos. in verbo: negotia. l. 32. ff. h. t. (b) d. l. 5. de oblig. & act. l. si filius. l. 2. l. tutori. 20. C. h. t. §. 1. Inst. de oblig. quae quasi ex cont. (c) arg. l. 6. §. si passus l. qui fidem. 53. ff. Manda. (d) Etiam si sciat is qui abest, l. 2. l. si negotia. 11. ff. h. t. tex. in l. ex mandato. 20. §. 1. l. 2. §. si curator. ff. Manda. vide Bald. in l. 1. C. h. t.

II.

Mandatum accipio re ipsa: (a) nec sufficit opinio gerentis, vel coniunctio personae. (b) Sed nec, si ab alio mandatum sit, quam cuius ea res est, impedit, quod minus huic actioni locus sit. (c)

(a) l. item si. §. l. fideiussor. 32. ff. h. t. (b) l. si autem. 8. ff. h. t. (c) l. 3. §. fin. l. 6. in prin. l. mandati. 46. ff. l. 3. l. 14. C. h. t. Myns. in d. §. 1. nu. 6. Declaro Inf. in thesi. 9.

III.

Ait Praetor: Si quis. Quibus verbis omnes comprehenduntur, qui obligationem contrahere possunt, (a) siue in iudicio gesserint, siue extra. (b) Nec mutat error conditionis, veluti si liber homo bona fide seruiat: (c) quod in mandato secus esse didici. (d)

(a) d. l. 3. §. 1. l. at qui natura. 19. §. si libero. circa fin. ff. h. t. (b) d. l. 1. d. l. 6. §. fin. l. 8. l. liberto. 37. §. litem ff. h. t. l. 2. C. de consort. eius. lit. Excipiuntur qui pro alio litigare non possunt. l. 1. ff. de postul. (c) d. l. 6. §. si quis quasi. l. si liber homo. 36. ff. h. t. (d) d. §. si libero. ibi glos. & Bart.

IIII.

Obligantur ex negotio omnes, quorum aliqua res est, (a) siue sui iuris sint, siue peculiarem habeant. (b) sed furiosum & pupillum locupletiores esse oportet, (c) ex eo negotio, quod non fuit necesse gerere: (d) qui tamen cum agunt, compensationem eius quod gesserunt, patiuntur. (e)

(a) d. l. 2. h. t. (b) d. l. 6. §. sed si ego. & §. seq. l. si filiusfam. 14. ff. h. t. (c) l. 3. §. alterius. ibi glos. in ver-

in verbo: furiosi. circa finem l. 6. in princ. ff. l. 2. C. h. t. fac. l. furiosus. 46. de oblig. & act. (d) gl. in d. l. 6. per l. in pupillo. 42. de solut. Salic. in d. l. 2. (e) d. l. 3. §. alterius.

Negotia sic accipe, siue vnum, siue plura: (a) siue propria alicuius, siue ita communia, vt pro parte cuiusque administrari possint. (b) Nec interest viui sint, an mortui, (c) an capite minuti: (d) dum tamen eorum nomine alia actio non sit. (e)

(a) d. l. 3. versic. negotia. (b) hoc enim requiritur, l. 3. ibi Salic. l. ab vno. 19. C. h. t. l. si communis. 40. ff. h. t. l. arbor. 19. §. si per eundem. ff. communi diuid. (c) d. l. 3. §. hæc verba. l. successori. 12. l. nam & Seruius. 21. §. qui negotia. ff. h. t. (d) l. atqui. natura. §. fin. cum duab. ll. seq. h. t. (e) gl. & Bart. in d. §. hæc verba.

VII.

Alterius porro negotia, aut re ipsa sunt, quæ videlicet cuiq; ipso gestu applicantur: (a) aut cura & sollicitudine, quorum periculum cuiusq; est: (b) aut ratihabitione. (c)

(a) cum Iurifconsulto in d. l. 6. §. idem ait. vers. quid ergo. Vnde apparet alteram speciem hinc non esse constituendam. quod fecit gl. in d. §. item quæritur. Vide Costal. in d. §. item quæritur. Myns. d. §. 1. n. 3. (b) De hac specie vide gl. & Bart. in d. §. item quæritur. tex. in d. l. 6. in princ. l. 29. 30. 31. §. tutoris. ff. l. 4. 6. 17. 18. 20. C. h. t. (c) vide Dyn. in c. ratum. de reg. iur. in 6.

VIII.

Cum alterius re ipsa negotium est, quin eo nomine aduersus dominum actio sit, falsa opinione gerentis non efficitur. (a) Itaq; relatum est, eum, qui Sempronij seruum, quem Titij esse crederet, pecunia data à morte seruauerit, aduersus Sempronium agere. (b)

(a) l. 3. in princ. l. 5. §. 1. ibi gl. l. 6. in princ. & §. sed si hominis, l. cum aliena. 26. l. liberto. 31. §. 1. l. quæ utiliter. 45. §. fin. ff. h. t. Myns. in §. omnium. num. 45. Inst. de action. (b) d. l. 6. §. si Titij. ibi gl. d. §. fin. l. quæ utiliter. l. seruum. 10. C. h. t.

IX.

Si tamen aliquem obligare sibi voluit. (a) Vnde quæritur: vtrum ei, qui in rem alienam quasi suam impendit, eius utilitatis nomine aduersus dominum iusta actio sit? Et ius retentionem tantum concedit. (b)

(a) l. antep. ff. Communi diuid. l. si filius. 12. C. h. t. (b) text. in l. in hoc. 14. §. 1. versic. diuersum. & in l. antep. ff. Communi diuid. l. si in area. 37. ibi Costal. ff. de condict. indeb. Not. in l. domum. C. de rei vend. & in 3. Ex diuerso Inst. de rer. diuis.

X.

Sed quid, si vt negotia Titij gererem, Sempronio gratum facere volui, fortè qui mandasset, vel cuius periculo fuissent, an Titium quoque conueniam? Quod Ioannem (a) verius negare existimo: nisi Titij quoque contemplatione gessi, (b) vel eum locupletiorè feci. (c)

(a) apud Accurs. in d. l. 3. §. fin. à quo facit d. §. si rectè consideratus. l. 6. §. si quis ita. vers. nam et si. d. l. nam & Seruius. 21. §. fin. l. si quis mandatu. 28. l. mandasti. 46. h. t. arg. l. ei. qui. 7. §. fin. C. Quod cum eo qui in al. Myns. in d. §. 1. nu. 7. Contrarium tenet Bart. post gl. in d. §. fin. (b) arg. d. l. ei qui. §. fin. l. 6. §. 1. ff. h. t. l. 14. ibi addit. ad gl. C. h. t. (c) d. l. 6. in princ. & §. sed si ego.

XI.

Debitoris quoque, cuius creditori, qui exceptione submoueri non poterat, pecunia dissoluta

soluta est, negotium hoc ipso gestum est, (a) etiam ab eo qui suo nomine soluit, si, ut debitori proficeret postea consensit; (b) quod facere eum posse, malè negavit Azo. (c)

(a) l. cum pecuniam. 43. l. soluendo. 39. ff. l. si filius. 12. C. h. t. (b) l. si. in fine ff. h. t. l. si quid possessor. 31. ibi Costal. de petit. hered. arg. l. si tibi. 25. ff. de donat. Bart. in d. §. item quaeritur. circa fin (c) gl. magna in d. §. item. circa fin.

XI.

Ratihabitione negotia conciliantur, aut sua cuiq³, aut aliena. (a) Sua, veluti si debitor alicuius exactus sit, quem idè liberare nemo cogitur, nisi velit ratum habere: (b) quod ut fecisse credatur, taciturnitate eius temporis, quod bonus iudex arbitraturus est, effici credo. (c)

(a) l. 6. §. item quaeritur. & passim. (b) l. Pomponius. 9. versic. cæterum. l. si ego. 27. ibi Costal. ff. l. si pecuniam. C. h. t. l. vero. 12. §. fin. l. si quis offerenti. 58. ff. de solut. (c) l. quò enim. 12. ibi Bart. & Castr. ff. Rem rat. hab. l. 13. ff. de solut. Oldend. clas. 4. act. 25. in pract. Act. direc.

XII.

Aliena ita demum, si ipso facto, ei cui gestum est, queri potuit. (a) Verum in hac specie perpetuum est, ei cuius contemplatione gestum non est, actionem non dari: (b) nisi cum aliter indemnis esse non potest, (c) & is quem conuenire vult, pauperior futurus non est. (d)

(a) d. §. item quaeritur. ibi gl. & §. idem ait. vers. quid ergo ead. l. 6. l. si quis. 23. ff. h. t. (b) d. l. 6. §. sed si ego. ibi tum. ibi Dyn. de reg. iur. in 6. (c) puta re perempta vel præscripta, d. l. fin. ff. h. t. l. si eum. ibi gl. & Bart. ff. si cert. pet. l. 3. ibi Bald. C. de rei vend. (d) fortè quia habeat causam lucratiuam. vel auctorem suum repetere possit, Bart. in d. l. si eum. Costal. in l. Iulianus. ff. de rei vendicat.

XIII.

Planè ratihabitione, quòd negotium tantum conciliat, (a) actionem non producit: (b) Nec tamen ideo ex ratihabitione aduersus gestorem actio non proficiscitur, (c) qui non audietur, si dicat, dominum negotium, quòd simpliciter ratum habuit probasse: (d) vt nec dominus, si negotio reprobato, postea agere velit. (e)

(a) d. §. item quaeritur. & §. seq. (b) contra gl. in d. idem ait, & in d. l. si pecuniam, cum Salyc. in d. l. si pecuniam. & Costal. in d. §. item quaeritur. arg. l. 3. §. hæc actio. in verbis: ex negotio. ff. h. t. (c) datur enim propter ratihabitionem dd. ll. (d) d. l. Pomponius. 9. ibi Costal. (e) dispensatorem. 62. in fin. ff. de solut. arg. l. apud Aufidium, de opt. leg. Bart. in d. l. 9.

XIV.

Cesserit, accipiendum est, siue sponte, siue urgente necessitate, necessitatisve suspicionem (a) Itaque comprehenduntur tutores testamento perperam dati, (b) hereditatū, bonorumve curatores, (c) executores rei iudicatae, (d) administratores alieno periculo suscepti. (e) Qui omnes, si electionis euentum non recusant, per alium gerere possunt. (f)

(a) d. l. 3. §. hac actione. (b) l. cum pater. 29. ff. l. 6. C. h. t. (c) d. l. nam & Seruius. 21. §. qui negotia. l. cum alicui. 26. ff. h. t. (d) d. l. 3. §. si executor. (e) l. ex facto. 30. ff. h. t. (f) nec liberantur cedendo actiones, d. l. 21. §. fin. l. 28. ff. h. t.

Ex hac

XV.

Ex hac obligatione nascitur Prætoria, (a) personalis, (b) perpetua, (c) bonæ fidei, (d) Negotiorum gestorum actio, quæ ex necessaria gestione utilis est, (e) Est q̄ directa & cōtraria. (f)

(a) d. l. 1. l. 3. in prin. (b) l. pen. C. h. t. d. §. 1. Inst. de oblig. quæ quasi ex cont. (c) d. l. 3. §. hæc autem ff. l. aduersus 8. C. h. t. (d) l. 7. ff. h. t. §. omnium. Inst. de act. l. 3. C. de transact. (e) d. §. hæc autem. l. antep. h. t. l. curatoris. C. h. t. Oldend. d. loco. (f) d. l. 2. & passim

XVI.

Directa conceditur domino, ut negotia rectè reddantur, hoc est, ut præstentur reliqua cum usuris & omni causa, (a) etiamsi quid non iure domini nomine exactum sit. (b) Sed usura non maiores, quam dominus ipse rebus suis faceret: (c) nisi gestor pecuniam ad se transtulit, quo casu maxima præstatur (d)

(a) d. l. 5. de act. & obl. d. l. 2. ibi Bart. l. 3. §. sed si quid accesserit. l. 9. versic. cæterum. l. 19. §. 1. ff. h. t. §. 1. Inst. d. t. (b) l. si autem 8. §. 1. l. si quis. 23. ff. h. t. Lagus part. 3. cap. 25. nu. 11. (c) d. l. 19. §. pen. l. 31. §. qui aliena, l. qui sine. 35. ff. h. t. (d) d. l. 35. l. tutor qui. 7. §. pecuniã. ff. de adm. tut. l. 1. & pen. C. de usur. pupill.

XVII.

Dammum in hanc actionem venit, quod cū lucro alia in parte compensari nō potest, (a) id quod semper dicitur, ubi culpa gestoris damnum accidit. (b)

(a) d. l. 2. d. l. Pomponius 9. l. d. bitor 13. l. siue hæreditaria. 22. ibi gl. l. ex facto. 30. ff. h. t. (b) l. de illo. 23. §. 1. l. & ideo. ff. pro socio. l. Caius. II. de usur. Costal. post Bart. in l. si negotia. II. ff. h. t.

XVIII.

Culpam, si nemo diligentior gesturus fuit, leuem argui sufficit, (a) sed Labeo interdum dolum solummodò versari scribit, veluti si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negotijs te meis obtuleris, quam sententiam Vlpianus probat. (b)

(a) d. l. 6. §. fin. d. l. si negotia ibi gl. l. fideiussor. 32. ff. l. tutori. 20. C. h. t. §. 1. Inst. d. t. vulg. l. contractus. ibi Decius. de reg. iur. (b) l. 3. §. interdum. ff. h. t.

XIX.

Cum nauum negotium geritur, quod absens facere solitus non est, Proculus ait etiam casum præstari debere. (a) Sed hoc casu domino amplius nihil tribuitur, quam ut ne pauperior sit: quod utiq̄ consequetur si patiatur lucrum quod in quibusdam rebus factum est, cum damno in eodem genere compensari. (b)

(a) d. l. si negotia fac. l. qui semisses. 6. ff. de usur. (b) d. l. si negotia. ibi Costal d. l. Caius. Habet ergo hic locum vulgare illud. Abstine à lucro & c. d. l. de illo. ff. pro socio.

XX.

Negligere in speciali gestione ea demum non oportet, quæ gerendi causa & ratione coniuncta sunt, (a) quæq̄ alius propter occupatam gestionem non suscepit: (b) si modo vir diligens ea neglecturus non fuit. (c)

(a) d. l. 6. §. videamus. ibi Cost. d. l. debitor. 13. l. cum actū 17. l. 21. §. si viuo. ff. h. t. (b) d. §. videamus. fac. l. 2. C. h. t. (c) d. §. videamus. p. §. 1. Inst.

illud

XXI.

Illud controuersum est, An is qui omnia gerere voluit, quasi ex lege sua, conueniri possit, etiam cum quadam non gesserit? Quod etsi Salycetus negat, (a) verum tamen est, (b) nisi gerendi causa mutata sit, puta a mortuo domino, vel aliter afflicto. (c)

(a) in d.l. tutori. 20. quem sequi videtur Cuiac. in parat. C. h. t. (b) d. §. videamus. ibi glo. Bart. & Cost. l. 8. in prin. l. Pomponius. 15. cum l. seq. l. 21. §. si viuo. a contrario sensu. h. tit. arg. l. sicut. C. de act. & oblig. Quidend. d. loco. (c) d. §. si viuo. arg. eorum quæ not, Bart. in l. si ante. ff. Iudic. sol.

XXII.

Quæri hic solet, vtrum gestor debitores in mora constituat, aut prescriptionem domini nomine interrumpat? Quod iura non patiuntur, (a) cum non is proponitur qui sine mandato agere potest, (b)

(a) d. §. videamus iuncta l. nulla. ff. de reg. iur. l. litem. 31. aliàs l. qui aliena. §. quanquam. l. si ego. 24. h. t. d. l. si pecuniam. gl. & Cost. in l. 1. ff. h. t. Bart. in l. si feruum. 91. §. nunc videamus. n. 2. & 3. de verb. oblig (b) d. l. 1. & l. 8. in prin. l. 1. §. illud. de mun. & hon.

XXIII.

Planè, quod dominum ex quaq; causa dare, facere oportet, nisi caueat, ne quid eo nomine damni patiat, forte pœnæ vel vsurarum nomine, ex generali gestione (a) actioni locus est: (b) quemadmodum & si rem domini, cuius vitium antè cognouit, apud se prescribi passus sit, (c) vel debitum, cuius dies venerat, à se non exegit, (d) utiq; si soluere sibi potuit, & plenior hæc actio futura est. (e)

(a) non etiam ex speciali, arg. eorum quæ dicta sunt sup. thes. 21. (b) d. l. 11. & d. l. debitor l. libertos. 31. §. litem. ff. h. t. (c) d. l. at qui natura, §. cum me absente. (d) d. §. videamus, cum duabus ll. seqq. l. proculus 18. l. 38. ff. h. t. (e) l. diuortio. 35. ibi Costal. ff. h. t.

XXIV.

Contrarium iudicium est, si quid gestori propter officium abest ab futurumve est, (a) daturq; etiam cum dominus negotium non probat, si tamen probare cogitur, (b) hoc est, si utiliter coeptum est, etiamsi utilitas non durauit: (c) quod ex conditione & facultatibus domini negotiorum aestimatur, quo nomine Proculus derisus est. (d)

(a) §. 1. Inst. d. t. l. 9. in fin. l. si mandatu. 28. ibi Cost. ff. l. 3. 16. 18. Ch. t. (b) d. l. 9. (c) l. sed an vltro. 10. §. 1. l. 12. §. 1. ff. l. 2. l. 10. C. h. t. (d) d. l. sed an vltro. §. 1. fac. eleg. tex. in l. si seruus. 25. ff. de pig. act.

XXV.

Non idem dicimus, si quis lucri sui causa negotium alienum gesserit, (a) si in restituendis rebus moram adhibuit, (b) si causam damni præbuit, (c) si negotium utiliter non inchoauit, etiamsi serid rem putauit: (d) hic enim propius est, ut euentu non secuto, actionem non habeat: quemad. & in negotijs pupilli, ciuitatis, & Ecclesiæ dicitur. (e)

(a) d. l. 6. §. sed & si quis. l. fideiussor. 32. ff. h. t. (b) d. l. si debitor. l. cum res. de leg. 1. (c) l. si ue hereditaria. 22. ff. h. t. (d) l. 10. §. fin. h. t. l. iam tamen. §. in hac ff. Iud. sol. (e) d. l. 6. in prin. ibi Cost. l. ciuitas. Si cert. pet. Auth. hoc ius porrectum. C. de SS. ecclef.

XXVI.

Eius quoq; negotij, quod dominus ne gereretur testatò denunciauit, post prohibitionem
actio

actio non est, (a) nec quod magis sit, utilitas negotij efficit: (b) nisi tale negotium sit quod publicè honestum vel utile fuit geri. (c)

(a) d. l. 8. §. Iulianus. ibi Bart. l. fin. C. h. t. (b) d. l. fin. ibi Salyc. Bart. in l. soluendo. h. t. per l. 6. §. si passus. l. si pro te. 40. ff. Mand. Etsi aliqui contra senserint, (c) Costal. in d. §. Iuliano. Decius in l. inuito. nu. 2. de reg. iur.

XXVII.

Illam magis facti, quam iuris quæstio est: An parentes aliq̄, necessitudine sanguinis coniuncti, sumptus in eos, quibus affectionem debent, collatos, pietatis intuitu fecisse credantur? Quod benignè presumimus, si victum respiciunt, (a) & ad alterius officium non pertinent; (b) secus si extra personam sunt, & filius dives est, (c) utiq̄, si leues non sunt. (d)

(a) l. Nefennius. 35. vers. præterea. ibi Bart. & Cost. h. t. l. l. alimenta. l. 11. ibi Sal. num. 4. l. si paterno. 15. C. h. t. (b) d. l. Nefennius. vers. pone peregrè. ibi gl. l. 5. §. si mater. de lib. agn. (c) d. l. alimenta. vers. si quid autem. d. l. 5. §. sed si filius. & §. sed si parens. de lib. agn. (d) l. in rebus. 18. §. possunt. ff. commod. l. utrum. 47. ff. de donat. int. vir. & vxor. Oldend. d. loco. In defensionibus Rei.

XXVIII.

Idem in marito dicimus. (a) Et hoc amplius, quod etiam cum dos nulla est, & mulier seruire non potest, eam alere & curare tenetur, si destituta est, (b) nec repetere potest: quod aliàs ad dotis quantitatem redigimus. (c)

(a) l. quod in vxorem. ibi Salyc. C. h. t. (b) l. quod si nulla. 28. de relig. & sumpt. fun. gl. & Bart. in l. si cum dotem, §. sin autem. ff. sol. matr. Gaill lib. 2. obs. 95. nu. 7. & seq. (c) d. §. sin autem.

XXIX.

Qui in rationes suas retulit, (a) vel negotia eius, cui expensum tulit, gessit, (b) etiam predictis casibus repetit. Excipitur causa dotis, cum pater legitimus dotem dat, (c) nõ etiam cum extraneus, (d) ut videtur voluisse indistinctè Costal. (e)

(a) d. l. Nefennius. versic. quid enim. & versic. igitur. (b) d. l. Nefennius. vers. ex contrario. l. fin. ff. de pet. hæred. (c) l. fin. C. de dot. prom. (d) arg. d. l. fin. à contrario sensu. l. vxorem. 41. §. pater. de lega. 3. glo. & Sal. in d. l. fi. (e) in d. l. Nefennius. & in l. cum is. §. si mulier. de cond. ind.

COROLLARIA

I.

Plures gestores si nihil proponatur, quare solidi obligationem suscepisse videantur, proportionibus conueniri.

l. cum alicui. 26. h. t. Bart. & Cost. in l. 1. §. ult. de exer.

II.

Captum ex iure pignorationis, seu repræsaliarum, à delinquente repetere posse.

Costal. post Bart. in l. Nam & Seruius. 21. arg. eius tex. ff. h. t. Costal. in l. 20. ff. Communi diuid.

153255

AB: 153255


(X2203998)

K



De legibus S. Teutonicorum





THESES SEV CON-
CLVSIONES

DE NEGOTIIS GESTIS

QVAS SVMMI NVMINIS OPE FRETVS
PRAESIDIBVS CLARISS. CONSVLTISSIMISQVE
viris D. Ioanne Michaële Cronenburgero, & D. Ioanne
Hollandt, SS. LL. Licent. Dictatoro & Fisco, in ce-
leberrimo Agrippinensis Academiae Iuris
Collegio, publicè disputan-
das proponit.

VVINOLDVS KIVER
DAVENTRIENSES.

*Anno à partu virgineo CIJ. IJ. LXXXXI.
pridie Calend. Martij.*



COLONIAE AGRIPPINAE M
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.